



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Item de aqua benedicenda. liii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Ex epist. Alexad. papa, fra trib. per Aegypt. missa.* **A**quam enim sale conspersam populis benedicimus. Ut ea cuncti aspersi sanctificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulae aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, quanto magis aqua quae sale aspersa diuinisq; precibus sacrata est populum sanctificat atque mundat? Et si sale asperso per Helizeum propter sterilitatem aquae sanata est, quanto magis diuinis precibus sacrata aqua sterilitatem rerum aufert hereticarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatum versutiis hominem defendit?

*Ut missae peculiares in diebus sollemnibus non fiant.*

Caput LIIII.

*Ex dictis August.* **E**T hoc attendendum est, ut missae peculiares, quae per dies solennes à sacerdotibus fiunt, non ita in publicis fiant, ut per eas populus à publicis Missarum sollemnibus quae hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur: quia pessimus usus est apud quosdam, in dominicis diebus, siue in quibuslibet festiuitatibus mox Missam celebrare, quam quis, & pro defunctis sit, eum audierit abscedat, & per totum diem à primo mane ebrietati & comestationi potius quam Deo deseruiat. Admonendus est populus, ut ante publicum peccatumque officium ad cibum non accedat: sed omnes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam Missarum sollemnia, & praedicationem audiri conueniant: & ut sacerdotes Missam hora tertia celebrent, ut populus à publicis sollemnibus non abstrahatur. Sed sacerdotes qui in circuitu urbis aut in eadem urbe sunt, & populus, ut praediximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant, exceptis domesticis sacris sceminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterij contineri.

*De ministerio presbyterorum, vel quid eis commissum sit. Cap. LV.*

*Ex dictis eiusdem.* **V**os presbyteri veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus: pro his verò quos verbis & exemplis lucrati fuerimus praemium aeternae vitae percipiemus. Nobis enim à domino dictum est, Vos estis sal terrae. Quod